



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Argentoratensem Episcopu[m] conuenit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

eiusmodi destinarat. Effecit etiam vt traderetur Patribus suggestus in celeberrimo sanctæ Vrsulæ templo, cum antea sepe eis locus ad euangelizandum deesset. Ipse verò octo dierum spatio (non enim longiorem ab Colloquio com meatū impetrarat) concionatus est sæpissime in æde principe, alibiq; cum germanice, tum Latine innumerabili auditorum numero, præsertim die Sanctis omnibus sacro, quo multa hominum conuenisse ad audiendum millia dicebantur. Liberatus deinde VVormatiensi Colloquio, cum vndiq; Ecclesiarū necessitatibus aduocaretur, haud diutius censuit piam postulationem frustrandam Argentoratensium Episcopi, & Canonicorum.

Conuenit Episcopum ad Tabernas Alsatias 1558.
 quinq; ab Argentorato procul milliaribus mensura gentis. Aberant ij, cum quibus agi volebat *Argentoratensium Episcopum conuenit.*
 Antistes de institutione Collegij: idcirco prope mensem retentus est, habitusque quasi Angelus Dei, atque interim populum iussus diuino verbo reficere, ac per natalitias Domini ferias etiam sacramentis ministrandis obire Pastoris vices. Apud *Multa bene gerit.*
 Aulicos præcipue fructus laborum constitit. In Iudo quoq; Catechismum pueris tradidit, explicauit.